

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

Garstensis monasterii, alter vero in abbatem *Seittenstetensem* inferioris Austriae.

Annis subsequentibus alium juvenem *Conradum Alopium*, sororis suae filium, cupientem religionem ingredi tonderi fecit eique habitum religiosum dedit, qui etiam a. D. abbate *Guilielmo* ad studia missus magna quoque cum laude philos. Mag. creatus est.

In introitu sui regiminis ibidem D. *Casparum Mayr* Suevum vel Helvetium reperit, qui iam ante sub Rmo. abbate *Spindlero* professionem fecerat. Hunc suis temporibus pro ordinibus suscipiendis Passavium misit, qui deinde a. ? suas primitias ibidem cantavit. Tres alii, scil. F. *Philippus* ex Suevia oriundus, qui iam in monasterio *Glnicensi* habitum religionis induerat, sed propter vacantiam abbatiae ibi professionem facere nequiverat, unde ad hoc monasterium assumptus est; alter *Matthaeus Camerer* se Bavaria originem ducens; tertius *Theodoricus Neubaur* Tyrolensis habitum d. Benedicti sub eodem Rmo. assumpserunt et in bonos viros evaserunt. Nam D. F. *Matthaeus* magna cum laude parochiae *Weyrensi* per decennium, postea etiam *Neustiftensi* praefuit, similiter per integrum annum officio concionatoris in *Gleink* functus est. D. F. *Philippus* aliquamdiu prioratum sub Rmo. abbate *Valentino Glnicensem* administravit, qui tamen propter continuam gravissimam infirmitatem domum ad suum monasterium redire coactus est, ubi post integri anni et eo amplius valetudinem ex tabo tandem in Christo quievit. Nec *Theodoricus* sibi defuisset, si a *Styrensisibus* in illa memorabili lapidatione ante portam s. Egydii in festo s. Marci tam periculose non fuisset laesus. Quid dicam de D. F. *Sebastiano Ertelio*, excellentissimo illo musico et multarum praeclarissimarum cantionum, missarum etc. componista, qui abiecto habitu militari, sub quo aliquamdiu uti strenuus miles contra turcam christiani nominis hostem infensissimum militavit, alium habitum sanctae et religiosae militiae d. Benedicti assumpsit, sub quo usque ad mortem viriliter depugnavit. Hic enim D. F. *Sebastianus* sub eodem Rmo. abbate *Martino* ordinem in Garsten intravit, sub eodem professionem fecit et demum sub illo quoque in sacerdotem ordinatus suas ibidem primitias celebravit, quem, quoad vixit, ob insignem suam scientiam musicam unice dilexit. Proptereaque, postquam ad monasterium s. *Lamperti* postulatus est, secum ad eundem locum abduxit et aliquot annis secum tam in hoc monasterio quam in *Cellis BMV.* retinuit illisque in locis musicam mirum in modum propagavit.

Cum vero sub hoc Rmo. interea omnes fere fratres seniores e vivis excessissent, illi vero, quos ipse assumpserat iuniores, plerique adhuc minus idonei viderentur, eo quod in